

^pDefinitio euangelij arrosa a Ienensibus theologis²⁶ extat in libello definitionum Philippi, Corpore doctrinae folio 865. et alibi passim.^{27p}

^oEuangelium est praedicatio ^qpoenitentiae et promissio, quam non nouit ratio naturaliter, sed reuelata diuinitus, in qua Deus affirmat se gratis, non propter vlla nostra merita aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Filij credentibus in Filium certo remittere peccata et donare eis imputationem iusticiae et reconciliationem, in qua Filius Dei voce euangelij consolatur et viuificat corda credentium et liberat eos a morte aeterna et facit eos templa Dei dato Spiritu sancto sanctificante eos et accendente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, et donat haereditatem vitae aeternae credentibus, quod propter ipsum gratis habeant remissionem, peccatorum imputationem iusticiae, reconciliationem et haereditatem vitae aeternae.^{qo}

Quae virtutes praecipuntur in affirmatiua sententia primi praecepti iuxta declarationem euangelij? [9:]

Septem sunt maxime insignes et conspicuae virtutes primi praecepti: 1. vera noticia Dei. 2. fides. 3. dilectio. 4. spes. 5. timor Dei. 6. humilitas. 7. patientia. Haec enumeratio rectissime sumitur ex verbis: „Ego sum dominus Deus tuus, fortis zelotes.“²⁸ Necessae est enim noticiam monstrantem, quis sit verus Deus, omnibus affectibus voluntatis et cordis erga Deum praelucere, quia ignoti nulla cupido. Hanc veram noticiam comitantur affectus in voluntate et corde, quia enim initio proponitur dulcis et grata consola-

^{o-o} Euangelium est ἐπιείκεια legis, id est praedicatio poenitentiae inuitans peccatores, vt agnito peccato conuertantur ad Deum, et est promissio, quae non est naturaliter nota, sed ex arcano consilio diuinitatis per Filium prolata, qua Deus remissionem peccatorum, reconciliationem et donationem Spiritus sancti et vitae aeternae propter oboedientiam et mortem Filij mediatoris offert et exhibet omnibus, qui fide promissionem accipiunt.: E.

^{p-p} Marginalie nur in F, G.

^{q-q} poenitentiae inuitans peccatores, vt agnito peccato conuertantur ad Deum, et est promissio, quae non est naturaliter nota, sed ex arcano consilio diuinitatis per Filium prolata, qua Deus remissionem peccatorum, reconciliationem et donationem Spiritus sancti et vitae aeternae propter obedientiam et mortem Filij mediatoris offert et exhibet omnibus, qui fide promissionem accipiunt.: A.

²⁶ Vgl. die „Warnung vor dem unreinen Catechismo“, D 4v, unsere Ausgabe, Nr. 5: Warnung vor dem unreinen Catechismo (1571), 349f.

²⁷ Vgl. Philipp Melanchthon, Definitiones multarum appellationum, quarum in Ecclesia usus est (1552/3), in: CR 21, 1078 (MWA 2/2, 785,11–25 [Zusatz seit 1556]). Die Seitenzählung richtet sich nach der zeitgenössischen Ausgabe: Corpus doctrinae, 865.

²⁸ Dtn 5,9.